


Questo libro composto di libretti
trentanove ha un gran valore.
Il suo più gran pregio consiste nella
lettera di Cristoforo Colombo in lingua
Spagnola.




IN INSIGNE GENTILITIVM CLEMENTIS VIII PONT. MAX.

CARMEN

Bartholomæi Tortelletti Veron.



VERONÆ,
Apud Hieronymum Diſcipulum.
M D XCVI.



CYNTHIO ALDOBRAND. S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO S. D. P.


Bartholomæus Tortellettus Veron.



VOD mihi de Illustrissimæ Familiæ vestræ Insigni Gentilitio anteactis iam diebus inter plurimas domesticarum perturbationũ procellas, tanquam curarum solatium, excidit Carmen, id tibi Card. Amplіss. studiosorum hominum Patrono, ac Męcenati studiosorum ipse, nisi socius, at saltem amantissimus trado: Cui quidem si cæteris rebus defuero, hac sanè mihi non videbor defuisse, quòd eum virum, cui dicaretur, eligere contigit mihi, à quo & me non parui fieri intelligo (hoc enim ex amicorum litteris agnoui, cum ad te de Torquati Tassi Poëtæ insignis obitu aliquid mearum lucubrationum delatum est) & ad CLEMENTEM VIII Pont. Max ac integerrimũ facilè ob sanguinis cõiunctio-

nem aditum nostro Poëmati paratũ iri con fido. Quamobrem quod per se neruorum, ac elegantiæ minimum continet, & proptere vel nullam, vel exiguã laudem meretur id ab illo tecum approbatum, & plurimum ornamenti suscipiet, & maximam apud cæteros gratiam consequetur, ac tantorum Principum felicitatis fiet particeps, cui quidem felicitati si quicquam deest, non vestra culpa, sed temporum deesse censendum est; quo sanè singulari humanitatis tuæ benefi cio cumulatus facere non potero, quin tibi perpetuò fatear me debere. Vale iij Non. Aprilis an. M D X C V I.





IN INSIGNE GENTILITIVM CLEMENTIS VIII PONT. MAX. CLEMENTISS.

CARMEN.



TEMMATE quisquis in hoc vultu
bis terna corusco
Sydera, & auratum transuerso cor-
pore signum,
In morẽ Scalæ mediũ quod diuidit astra,
Respicis, atque eadem Clypei testudine curua

 Cæ-

Cæruleo, vt Cœli, spatio, cum fortè serenum
Pura luce micat nebulis sub nocte fugatis,
Inniti, clauesq; super, Regniq; Coronam;
Id ne depictum euentu, & sine numine Diuùm
Credideris, vis multa subest, vis abdita fato
Illi, & pendendus rerum ingens clauditur ordo.
Principio id CLEMENS veterum gestamen Auorum
Seruauit (CLEMENS, humeris qui sustinet orbem
Iura ferens, Regesq; ipsos ditione coercens)
Indiciumq; domus antiqua à gente recepit
Clara armis, clara studijs, donisq; Mineruæ,
Cuius tercentum Ausonidæ voluentibus annis
Virtutem stupuere viri Thyrrena per arua
Latè expandentem se se, totamq; replentem
Italiam, hinc ipsos nomen deuenit Eoos,
Et quibus occiduum Phœbus lauit æquore currum.
Sed tamen Heroum titulos, & facta priorum
Solus Auis maior superans, qui præsidet Vrbi,
Dijs se vicinum tulit, & iam sydera carpit.
Ergo auro Scalam obductam, quæ nititur alto,
Et triplici hinc, triplici inde Poli concluditur igne,
Censuerim Virtutis iter, quod ad æthera suerit
Insignes vehere Heroas, Diuumq; locare
Concilio, & dulci dignari nectaris haustu
Quoscunq; accensa sub corde cupidine pulchra
Egit amor superas per durum quærere sedes.
Quod verò picti facibus miscetur olympi
Semita, crediderim Clypeo non forte repostum,
Sed ducente Deo, veterumq; in pectora lapso,

Siue

Siue quod est Cœlum, via quà Virtutis, & astra,
Siue quòd exorta est postquam labentibus annis,
Vis scelerum grauior, fraus, & male suada libido,
Et Virtus, & Iter, quo sydera celsa petuntur,
Indignata nefas, pestemq; perosa malorum
Terga dedere fugæ, & caput inter nubila condunt;
At CLEMENS, *qui summa tenet, placitoq; potitur,*
Optatam ad sedem gradibus non indiget vllis,
Nanq; animo superum tota comitante caterua,
Aetherios lustrat thalamos, & amœna vireta.
Præterea id mihi (si qua fidem obseruata merentur)
Obijcitur maius, quod tempestate coorta,
Dum medio in fluctu puppim sub nocte maligna
Nimbus agit circùm, lateriq; affixus euntem
Prosequitur Notus, atq; erumpunt nubibus ignes;
Dumq; arma expediunt nautæ, votisq; fatigant
Cœlicolas pauidi, scopulo ne illisa ruina
Det sonitum, aut absorpta vadis in vertice pontum
Accipiat, vastaq; gemens se condat in vnda,
Strident commoti funes, ferit æthera clamor.
Si nubes inter pluuias in parte serena
Obijciat clara sydus se luce videndum,
Spem recipit positam, & Pelagus contemnit, & imbrē;
Illam equidem ex alto lumen, quò tuta sequatur
Edocet, & qua sub Cœli regione laboret:
Acclamant nautæ, & læti de puppe salutant;
Iamq; adeò accelerant manifesta per æquora cursum
Connixi, & portu gaudent se condere amato.
Haud aliter stellæ, signum quæ ex parte coronant

Herois pictum Clypeo (ni fortè videntur
Virtutes illum stipantes, aurea Diuùm
Relligio, tum cana fides, & conscia recti
Iustitia, & paribus figens vestigia plantis
Quæ dat CLEMENTI *nomen, quibus ordine longo*
Addunt se socias aliæ) dum Marte frequenti
Pugnatur, scissaq; furit Discordia palla,
Iræq́, inuidiæq́, & rerum vasta cupido
(Pestis acerba virum) toto bacchantur in orbe,
Vsque adeò diris vertuntur secula bellis,
Criminibusq; nouis luimus pro crimine pœnas;
Dant lucem, & magno iactatos æquoris æstu
Hortantur reuocare animos, & ponere curas.
Ipse quidem instanti Pater occursare ruinæ
Nititur; anne vides populos miseratus, & Vrbes,
Quà impatiens voluit turbatas Ister arenas,
Perculsas bellis, & viribus hoste minores,
Vt Latio lectas acies, magnumq́ Nepotem
In Tyrios, Lelegasq́ feros, Thracumq; cohortes
Miserit? vt fortes operi coniungere Gallos
Cogitet aduersos adigens in fœdera Reges?
Scilicet vt cæci furijs flauentia culta
Partim ipsi Indigenæ, partim de sanguine Ibero
Combussere diu, populatiq́ arua fuere,
Et tumulos atauùm, & cineres lauere cruore,
Perpetuò sparsi ne rorent sanguine vepres,
Nec patria malè tuta domo pulcherrima virgo
Vsque sit, & cæsis squallescat terra colonis;
Coniungatq; vtinam, siquidem complexus amicè

Con-

Conspicuum sceptro Regem, & felicibus armis
HENRICUM nuper scelerata labe piauit.
Sic qui non iustè parto lætatur Auorum
Imperio, viresque Orientis, & ense minaces
Mittit in arma Scythas, ritu queis vita ferino,
Poneret audaces animos, & clade recepta
Præcipiti dare terga fugæ, Lybiæq; repostis,
Aut Asiæ ignota regnis caput abdere terra
Suspirans, serosq; trahens inglorius annos
Tentaret, syluas Arabum, fæcundaq; Nilo
Culta, & palmiferam nos tonderemus Idumen.
Vos saltem Ausonidæ stricto fortissima ferro
Pectora, vel iactu plumbi liuentis ab ære,
Nam vis in vobis, & spes non parua recumbit,
Et vestra in primis fama est virtute prehensas
Pannoniæ cæsis validas custodibus arces.
Seruate Imperium propè lapsum, atq; oppida capta
Multa dolo, armorum numero, & formidine multa,
Barbarus vt pauidos exercitus ibat in hostes,
Reddite: Thrax opibus nostrorum ipsoque potitus
Sanguine, dum partis semper cupit addere rebus,
Securus regno colitur, dapibusq; paratis
Regifico luxu, & placida sub nocte quiete
Deuictos ridens fruitur, gaudetq; tueri
Dura pati gentem captiuam, & sæua sonare
Verbera, dum liquido luctantur marmore tonsæ
Christicolis actæ, & verrunt freta salsa carinæ,
Aut per crudeles terras genus omne laborum
Seruitio indignum duro miserabile vulgus

Exer-

Exercet: pars ponderibus ſubiere ferendis
Triſte miniſterium; pars capta per oppida Cœlo
Turrim educentes, & propugnacula belli
Fundamenta locant, manibusq; aduoluere ſaxa
Intentant glomerati, & marmora dura ſecare:
Sunt & qui longa amotos ſtatione coacti
Humentes hauſere lacus, lapidesq; recoctos
Aſpergunt, illi bibulæ miſcentur arenæ:
Subijciunt humeros alij, tractuq; rotarum
Intendunt manibus funes, & ſtuppea collo
Vincula delecti montem vectare reciſum:
Sunt qui taurorum ſimiles infringere glebas
Agricolis ſtudeant, verſare & vomere terram:
Stat circum ſcelerata manus, cinctiq; flagello
Ore tonant, quatiuntq; miſerrima terga magiſtri;
Illi pallentes ſuppreſſo murmure vocis
Dant gemitum, ſtridet ferrum, tractæq; catenæ,
Aeſque datum collo circum. Vos talia Thraci
Inſtaurate, ferum nulla eſt iniuria lædi
(Si tamen eſt fas Chriſtiadum ſæuire catervas)
Olli ingens matrum numerus, pars maxima quarum
Pingere acu veſtes edocta, & texere telas,
Pars forma inſignis, plenisque optabilis annis
Nigrantes effert oculos, & lactea nudat
Colla, & væſanos gradiens exurit amantes:
Olli magna virùm ſeries, delecta iuuentus
Ad bellum fixo geſtans haſtilia ferro,
Nec non fulmineas moles ex ære cauato;
Eſt & qui longè iaculo, verſisq; ſagittis

Fidat,

Fidat, qui tereti in pugnas acerrimus hasta,
Dum clamor Cœlo, & turbatæ it nimbus arenæ,
Irruat, alipedes domitant in puluere multi;
Hos dare captiuas omnes in vincula palmas
Cogite sortiti in patriam quem quisque sequatur,
Et nati, natisque comes Regina Tyranni
Gestamen capitis, pallamq; exuta superbam
Nil maior nuribus discat parere Latinis,
Expurgetque lares, & verset pollice fusum.
Iamq; absit timor omnis, cum in certamine primo,
Vere nouo demens ineat si prælia coram,
Fractum animo, atque fuga celeri cernetis euntem,
Omnes barbarici conuertent terga manipli.
Sit mens omne malum populo, qui cura Deorum est,
Omne nefas vestris abolere, & dedecus armis.
Ecquis erit finis lætandi, arasq; sacrandi
Cœlicolum Regi, atque intactæ ex ordine Matri,
Cum dabitur patrias remeare potentis ad oras
Hesperiæ vita, & spolijs ex hoste retractis?
Quàm vos & victum, & mores meminisse iuuabit
Castrorum, & magnis vitam obiectasse periclis,
Germanis quò parta salus, atque omnis ademptus
Finitimis nobis timor esset, & otia tuta
Quisque terat nullo concussus turbine belli,
Quà vel sublimes habitat de more penates,
Nectareasq; haurit pateras, vel viuere paruo
Assuetus, tectoque humili securus auito
Exigit occiduæ data tempora dulcia vitæ.
Purpuream gemmis chlamydem perfusus, & auro

Ve-

Vester enim Ductor plausu in Romana receptus
Ostia gaudentum, & tendentum ad sydera palmas
Ibit ouans, curruque agitabit lora secundo,
Auratisq́; in equis aderunt, portasq́; subibunt
Semidei tot iam reduces, Proceresq́; minores,
Quos studio effusæ matres, & nubilis æui
Spectabit Virgo, cæcosq́; fouebit amores.
Cætera vos legio victrix, lætique manipli
Induti exuuias Asiæ gaudebitis illos
Ponè sequi, & patrijs laribus cum coniuge chara
Vi procul armorum seros implebitis annos;
Ipsa sibi æternam statuet Pax aurea sedem.
Nec vos prætereo (ratio est si qua indita) belli
Magnum robur Equi, nam vos & motus habenæ
Stare loco haud faciles, & flantes naribus ignem
Excitat, & litui sonitus, clangorq; tubarum;
Vos quoque militibus pugna ne parcite cœpta
Threycijs, dum figit Eques calcaribus armos,
Irruite, & densas acti turbate phalanges,
Et moriens campis agmen grauis vngula passim
Proterat, infensi meritas dent sanguine pœnas,
Nec mora, nec requies, donec tanquam aggere facto
Decussæq; iubæ galeis, populataq; rapto
Corpora thorace, & sine milite militis arma
Vim spatijs latè vestram testentur apertis;
Nec minimum expectate decus, non ærea nanque
Pondera erunt vobis, phaleris sed murice tinctis
Instrati, & ramo cincti felicis oliuæ
Victorum insignem numerum, pubemq; feretis


Auso-

Ausoniam, pulsata gement hinnitibus astra,
Nec non paciferæ volitabunt vertice cristæ,
Et collum auratis subnectent cingula bullis.
Sed quis me rapuit Deus, atq; his vocibus egit
Semotos longè à nobis, quà labitur Ister,
Compellare viros, & sæuum pectus equorum?
Nunc igitur si vera tuli, si magna rependi,
Solum Pastorem populi, cui ianua Cœli
Panditur, & poterit mensis accumbere Diuùm,
Signa hæc insigni decuit gestare paterno;
Et cum Rex superum venturi præscius æui
Ante mare, & terras, & clari lumen olympi
CLEMENTEM Patrum numero delegit ab omni;
Cui Styx, cui tellus pareret, & arduus æther,
Hanc quoque signorum speciem, Clypeumq́; putarim
Delegisse viro, proauisq; dedisse vetustis,
Auspicijs quisque vt lætis, atque omine fausto
Ad superos gradibus posthac edisceret aureis
Affectare viam, & spem carpere posset ab astris.
Dij Patrij, quorum Tyberis sub numine sancto,
Et Latium, seruate Senem, seruate Nepotes
Indutos ostrum geminos, sanctamq́; tiaram
Magnam eius requiem, magnæ duo lumina Romæ,
Quos adeò incertum est tantisne à rebus honorem
Accipiant, addantne magis, certentne vicißim;
Nec non Ductorem vobis sit cura tueri
Iis animo similem, & consanguinitate propinquum,
Eoas acies Italo qui Marte fatigat
Bellipotens, ea perpetuis, ea fœdera sunto

Legibus, vt quisquam præsentum è sanguine claro,
Vlli dum dabitur cœli conuexa videre,
Purpureus tyrio aut humeros veletur amictu,
Aut præsit bellis, aut temperet arduus orbem;
Annuite, & nostro id faciles concedite voto.
Et tu non vllis, CLEMENS, infracte periclis
Euentus rerum faustos, cursumq; secundum
Sperato, properant (ni me sententia fallit)
Altera depositis per te aurea secula bellis.

AD EVNDEM CLEM. VIII SVMMVM PONTIF.

VENTVM erat ad tempus, quo te nisi fata dedissent,
Nutabant multo secula nostra metu;
Nam quæ tot Patres, capiti quibus alta Tiara,
Sustulit haud longa Mors inimica die,
Vt te conspexit regnorum Insigne gerentem,
Non ausa est tantum perdere victa virum.
Hinc nil mirandum, metuat quod Barbarus Hostis,
Quem metuit quouis Mors magis hoste potens.
Sed quid fecisset, si appellarere Seuerus,
Quæ te CLEMENTEM nomine turba timet?




AD

AD CYNTHIVM ALDOBRAND. CARD. AMPLISS.

IACTET Roma vetus Capitoli ingentia ſaxa,
Templa, Magiſtratus, regna ſubacta, Duces,
At noua, dum reſides, CYNTHI, ad Tyberina fluenta,
Sole ſibi à gemino gaudeat eſſe diem;
Nanque ea mortalem peperere haud optima laudem,
Hoc diuinum olli donat habere decus:
Tantum ornat tua te virtus, vatesque tueri
Phœbi inſtar, tanta luminis auget ope.
Adde his canitiem, iam tu dominaberis orbi,
Quique es Sol alter, Iuppiter alter eris.

AD PETRVM ALDOBRAND. CARD. AMPLISS.

QVIS te, PETRE, canat Romani cura Parentis
Maxima, quem clarus murice pingit honos?
Nam Patruo ſimilis virtutis imagine, nomen
Fers etiam, cuius nunc gerit ille vices:
Atque hoc cenſuerim quemquam feciſſe Deorum,
Pulchra vt venturos falleret arte viros,
Scilicet haud credent, aderit ſors vltima quando
CLEMENTIS, viuo te periſſe Senem.



AD

AD IO. FRANCISCVM ALDOBRANDINVM

Pannonico bello ſummum Italorum Ductorem Inuictiſſimum.

FAMA eſt Threycijs, vbi quondam Regna Lycurgi,
Bellorum fauſto numine adeſſe Deum;
Et tamen ille Vrbem, & Capitolia celſa tuetur,
Vrbem eius nati quam poſuere duo;
At nunc, vt Thraces contra Tyberinus in arma
Miles ijt, recipi regna vt auita queant,
Illum cui credam virtutem in prælia genti
Addere? quam verſa deſeruiſſe vice?
Quicquid ſit; ſi stat pro Italis, agit omnia tecum
Mars; ſi pro aduerſis, Mars ades ipſe tuis.

FINIS.

I E)

I ni

48